

1 Ill<sup>me</sup> et R<sup>me</sup> Domine.

Aliquot iam menses sunt quod per favorem Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D<sup>tionis</sup> V<sup>rae</sup> Dominus Dionysius Cristophori R<sup>mo</sup> episcopo Antverpiensi indultum seu gratiam à Sua Sanctitate impetravit, nominandi graduatum  
5 aliquem in sacra theologia, cui Sua Sanctitas primam ad collationem Sedis Apostolicae vacaturam praebendam Antverpiensem sub onere censendi libros conferret; quam quidem nominationem R<sup>mus</sup> Antverpiensis ex causa hactenus distulit, verum modo me huic officio destinavit, ut ex adiunctis hisce suis litteris constare existimo.

10 Rogo itaque obnixe Ill<sup>nam</sup> et R<sup>nam</sup> D<sup>tionem</sup> V<sup>ram</sup>, ut sicuti initium huic gratiae vestra benevolentia tribuere voluisti, ita etiam eandem ad felicem exitum deducere non graveris: id enim postulat, non dicam Ecclesiae utilitas, sed necessitas, quam quidem Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D<sup>tionis</sup> V<sup>rae</sup> satis perspectam existimo, ob vicinitatem et

15 frequens commercium, quod emporium hoc nostrum Antverpiense cum circumiacentibus provinciis haeresi infectis, habet, imo frequentius habebit, si pax vel decennales induciae, (quas speramus) cum iisdem componantur. Huic igitur ecclesiae necessitati si Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D<sup>tio</sup> V<sup>ra</sup> suo favore subvenire dignabitur, novo vinculo sibi a

20 astringet R<sup>mum</sup> Antverpiensem, et me humillimum suum clientem, qui cum anni huius renovatione, salutaria omnia Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D<sup>tionis</sup> V<sup>rae</sup> apprecor. Scriptum Antverpiae die 16 januarii, anno D<sup>ni</sup> 1609.

Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D<sup>tionis</sup> V<sup>rae</sup>

Obsequentissimus famulus

25 Zegerus van Houtsum.

Ill<sup>mo</sup> et R<sup>mo</sup> Cardinali Bellarmino.

Quid in ea re egerim, de qua ad me scribis, ex ipso R<sup>mo</sup> D<sup>no</sup> episcopo cognosces. Vale, et pro me orare. Romae die 20 februarii  
30 1609.

R<sup>dae</sup> D. T. uti frater.